AUTHOR:

KRATZ, FR. M.

TITLE:

DE MINERVAE INTERVENTU IN ...

PLACE:

[KOLN AM RHEIN]

DATE:

[1862]

Master Negative #

91-80298-20

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Kratz, Fr M

De Minervae interventu in Homeri Odyssea scripsit F. M. Kratz ... [Köln am Rhein, Bachem [1862]

16 p. 24½ cm.

On cover: Jahresbericht über das K. Katholische gymnasium an Marzellen zu Köln ... 1861-1862 ...

171242

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 13½

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 10-31-91 INITIALS M.B.

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

Jahresbericht

über das

Königliche Katholische Gymnasium

an Marzellen

zu

Köln

in dem Schuljahre 1861—1862.

Herausgegeben

von

dem Director des Gymnasiums

Philipp Ditges.

Vorausgeht eine Abhandlung des Oberlehrers Kratz:

„De Minervae interventu in Homeri Odyssea."

Köln am Rhein.

Druck von J. P. Bachem, Verlags-Buchhändler und Buchdrucker.

DE

MINERVAE INTERVENTU IN HOMERI ODYSSEA.

SCRIPSIT

F. M. KRATZ,

GYMN. COLON. CATH. AD S. MARCELLUM SUP. ORD. COLLEGA.

Si cui forte ex parvo numero eorum, qui programmata, quae vocant, scholastica legere consueverunt, nostra haec commentatio minus probabitur, quod pleraque eorum, quae disserantur, ab aliis iam satis explanata sint, pauca ab auctore ipso explorata, eum scire velim ac probe tenere, cum delato ad me Gymnasii nostri annalibus praefandi munere ad scribendum me accingerem, quamnam potissimum rem sumerem tractandam quamque tractandae rei rationem inirem circumspicienti mihi haud alienum esse visum ita rem instituere, ut et materiam et disserendi rationem adolescentulorum Homeri studiosorum intelligentiae accommodarem et ad mensuram, ut ait Quintilianus, me submitterem discentium. His autem si commentatio mea nonnihil afferet utilitatis, nec poenitebit me operae in eam collatae, et eorum, qui uberiorem in ea subtilioremque doctrinam requirent, aequo animo reprehensionem feram.

De Minervae interventu in Homeri Odyssea.

Caput I.

Etsi Homerici temporis hominum minime ea de providentia divina fuit opinio, ut deos res humanas ita crederent curare et regere atque gubernare, ut totam rerum atque eventuum seriem provida mente complecterentur totamve singulorum hominum aut universorum populorum vitam prospicientes singula ordinarent atque constituerent [1]) — ut nos divinum numen providere rebus humanis et regere atque administrare mundum credimus —, tamen negari nequaquam potest, omnium, quae civitatibus populisque vel prospera vel adversa eveniant, deos et auctores et rectores haberi, ita quidem, ut etiam quae hominum culpa mala eve-

1) Singularis est hominum Homericorum de deorum consilio in administrandis rebus humanis opinio, qua res magnas atque fatales, ut Graecorum adversus Troianos expeditionem, Troiae urbis excidium, tot virorum fortium interitum eam ob causam evenisse existimant, ut posteri carminum argumenta haberent (ἵνα ἦσι καὶ ἐσσομένοισιν ἀοιδή). V. Od. VIII, 580. cf. Il. VI, 358. Od. XXIV, 197. cf. Naegelsbach. Homerische Theologie. Zweite Auflage p. 52 sq.

niunt atque calamitosa, ad deorum referri soleant auctoritatem. Itaque Il. III, 164 sq. Priamus Helenae

οὔτι μοι, inquit, αἰτίη ἐσσί· θεοί νύ μοι αἴτιοί εἰσιν,
οἵ μοι ἐφώρμησαν πόλεμον πολύδακρυν Ἀχαιῶν.

et Il. XIII, 222 sqq. Idomeneus pugnae cladem Jovis auctoritati tribuit:

ὦ Θόαν, οὔτις ἀνὴρ νῦν αἴτιος, ὅσσον ἔγωγε
γιγνώσκω· πάντες γὰρ ἐπιστάμεθα πολεμίζειν·
ἀλλά που οὕτως
μέλλει δὴ φίλον εἶναι ὑπερμενέϊ Κρονίωνι,
νωνύμνους ἀπολέσθαι ἀπ' Ἄργεος ἐνθάδ' Ἀχαιούς.

Ita non modo utriusque carminis Homerici actio universa in deorum voluntate et consilio posita est, ita quidem, ut ea, quae utrique carmini argumentum praebuerunt, ex deorum decreto evenisse putandum sit, sed etiam in rerum, quae narrantur, decursu saepissime dii interveniunt omnisque subita rerum conversio eorum intercursu fieri putatur. Neque enim illi tum solum rebus humanis intervenire solent, quum eo res venit, ut humanis viribus difficultas aliqua solvi non possit — ubi dignus vindice nodus —, sed quotiescunque intercursu eorum ii, quibus favent quibusque patrocinantur, mortales adiuvari sublevarique posse videntur.[2]) Sed quum nobis propositum sit de Minervae interventu in Homeri Odyssea disserere, bipartitum scriptionis pensum nobis constituimus, et primum quam vim quodque momentum deae intercursus ad actionem habeat Odysseae, deinde qua ratione interveniat, paucis demonstrare conabimur. De re ipsa autem priusquam disserere incipiam, de Minervae natura ac vi paucis dicendum esse videtur.

Est igitur Minerva Jovis filia matre carens. Fabula illa, quae vulgo fertur, deam ex Jovis capite ortam esse, nusquam apud Homerum commemoratur. Nam quod saepe ei ab Homero tribuitur cognomen *Τριτογένεια*, non e capite ortam, sed ad Boeotiae flumen Tritona natam significat. Nitzsch. 1. l. I. p. 213. Sed tamen observandum est, ne ab Homero quidem usquam commemorari deae matrem, et fortasse Il. V, 875 „*σὺ γὰρ τέκες ἄφρονα κούρην*“ et 880 „*ἐπεὶ αὐτὸς ἐγείναο παῖδ' ἀΐδηλον*“ illum Minervae nascendi modum, qui post Homerum vulgo credebatur, significari recte coniicias.[3]) Ex capite suo Jovem genuisse deam, primum legitur in hymno Homerico, qui dicitur, in Minervam init:

Παλλάδ' Ἀθηναίην κυδρὴν θεὸν ἄρχομ' ἀείδειν,
Τριτογενῆ, τὴν αὐτὸς ἐγείνατο μητίετα Ζεύς
σεμνῆς ἐκ κεφαλῆς, πολεμήϊα τεύχε' ἔχουσαν,[4])
χρύσεα, παμφανόωντα· σέβας δ' ἔχε πάντας ὁρῶντας
ἀθανάτους —

---

[2]) Naegelsbach. l. l. p. 51. sq. cf. Nitzsch. Erklärende Anmerkungen zur Odyssee I. p. 212.

[3]) Geppert über den Ursprung der Homerischen Gesänge. I. p. 99.

[4]) Si verum est quod Schol. ad Apollon. Argon. IV., 1310 observat: *πρῶτος Στησίχορος ἔφη σὺν ὅπλοις ἐκ τῆς τοῦ Διὸς κεφαλῆς ἀναπηδῆσαι τὴν Ἀθηνᾶν*, recte coniicias, hunc hymnum post aetatem Stesichori compositum esse.

cf. Hesiod. Theog. 886 sq. Apud posteriores demum poetas legimus, Vulcanum vel Prometheum Jovi securi caput fidisse deamque armatam ac iuventutis vigore praeditam inde exsiluisse. V. Pind. Ol. VII, 35. Ceterum verisimile est, ipso Graeco deae nomine indicari, eam ab ipso Jove progenitam eiusque quasi expressam imaginem et perfectam *ὑπόστασιν* esse. Nam nominis origo quaerenda esse videtur in verbo *θῆσαι*, h. e. uberibus alere, mammam praebere, unde dicitur *τιθήνη*, nutrix, *τιτθή*, papilla, mamma, *ἀθηλής* (*μαζός*), non lactaus, *ἄθηλος*, non lactatus, *γαλαθηνὸς*, *θῆλυς*, *θάλλω* etc. *Ἀθήνη* igitur est virago uberibus non nutrita. Ita ipso nomine et divinum deae ortum et vim patris illi innatam indicari recte monere videtur Paschke „De Minerva, qualem Homerus finxerit.“ Sorau 1857, p. 6 sq., ubi de nominis origine fusius disputatur et variae de ea virorum doctorum sententiae recensentur. Etiam Naegelsbach l. l. p. 107 nomen a verbo *θάω* ducendum esse putat, sed activam ei vim tribuit, ut perpetua deae virginitas significetur. Quum igitur Minerva quasi *ὑπόστασις* quaedam Jovis sit eiusque divinam mentem ac vim simillima specie referat (cf. Hesiod. Theog. 896, *ἶσαν ἔχουσαν πατρὶ μένος καὶ ἐπίφρονα βουλήν*), consentaneum est eam patris dignitatis ac potestatis participem esse, ut etiam interdum eius vice fungatur (Il. XI, 45). Inde Od. XVI, 263 sqq. Telemachus patri, qui a Jove et Minerva se in pugna cum procis ineunda adiutum iri dixerat,

ἐσθλώ τοι, inquit, τούτω γ' ἐπαμύντορε, τοὺς ἀγορεύεις,
ὕψι περ ἐν νεφέεσσι καθημένω, ὥτε καὶ ἄλλοις
ἀνδράσι τε κρατέουσι καὶ ἀθανάτοισι θεοῖσιν.

cf. Faesi. ad h. l. Horat. Od. I, 12, 20. „proximos illi tamen occupavit Pallas honores.“ cf. Od. XX, 42. Il. VIII, 287. X, 551 sqq. XI, 736. Inde etiam apparet, cur Juppiter in deliciis habeat Minervam et maxima in eam indulgentia sit. Vid. Il. V, 875 sq., ubi Mars *ταύτην δ'*, inquit, *οὔτ' ἔπεϊ προτιβάλλεαι οὔτε τι ἔργῳ, ἀλλ' ἀνιεῖς, ἐπεὶ αὐτὸς ἐγείναο παῖδ' ἀΐδηλον.* cf. Il. VIII, 39 sq. 360. 373. Nomen *Παλλάς*, quod deae additur quodque apud Homerum separatum ab altero nusquam, saepe coniunctum cum illo legitur, iam a veteribus varie explicatum est. Alii enim *ἐκ τοῦ πάλλειν καὶ κραδαίνειν τὸ δόρυ* ita nominatam esse deam dicunt, ut hastae vibratricem, belli praesidem significet, alii *ἐκ τοῦ ἀναπεπάλθαι ἐκ τῆς κεφαλῆς τοῦ Διός*, alii *ἐκ τοῦ ἀποκτεῖναι Πάλλαντα, ἕνα τῶν γιγάντων*, alii aliter interpretantur. Paschke l. l. p. 14 ducendum quidem nomen a verbo *πάλλειν* putat, sed ita ut „illa et animi et corporis mobilitas (*εὐκινησία*) indicetur, ex qua summa ad quamvis rem agendam alacritas et industria florentis imprimis aetatis proficiscitur.“

Itaque cum ea Minervae vis ac natura sit, ut deorum regis divinam mentem (*Μῆτιν*) simillima specie referat, consentaneum est, eum potissimum virum, qui ab Homero traditur subtilissimo ingenii acumine et sapientia consilioque omnibus praestitisse quique a poeta *πολύμητις* appellatur, a dea imprimis diligi eiusque perpetuo uti patrocinio. Itaque Homerus Od. XIII, 330 sq. Minervam dicentem facit:

τῷ σε καὶ οὐ δύναμαι προλιπεῖν δύστηνον ἐόντα,
οὕνεκ' ἐπητής ἐσσι καὶ ἀγχίνοος καὶ ἐχέφρων.

cf. Il. X, 245 sq. 552. Et multis locis legimus apud Homerum, Ulixem, cum bello Troiano interesset, in singulari Minervae tutela fuisse. Il. XXIII, 782 sq. Aiax

ὢ πόποι, *inquit*, ἦ μ' ἔβλαψε θεὰ πόδας, ἣ τὸ πάρος περ
μήτηρ ὣς Ὀδυσῆι παρίσταται ἠδ' ἐπαρήγει.

et Od. III, 218 sq. Nestor dicit Telemacho:

εἰ γάρ σ' ὣς ἐθέλοι φιλέειν γλαυκῶπις Ἀθήνη,
ὡς τότ' Ὀδυσσῆος περικήδετο κυδαλίμοιο
δήμῳ ἔνι Τρώων, ὅθι πάσχομεν ἄλγε' Ἀχαιοὶ —
οὐ γάρ πω ἴδον ὧδε θεοὺς ἀναφανδὰ φιλεῦντας,
ὡς κείνῳ ἀναφανδὰ παρίστατο Παλλὰς Ἀθήνη.

cf. Il. II, 155 sq. V, 675 sq. X, 274 sq. XI, 437 sq. XXIII, 770 sq. Od. XIII, 314 sq. In Odyssea autem summa Ulixi et domui eius cum Minerva necessitudo est, et non ipse solum, sed etiam uxor et filius eius perpetuo deae utuntur patrocinio, ita quidem, ut totius actionis dux moderatrixque iure dici possit. Primum enim, ut Achillis et Agamemnonis rixa eamque consecutus tot virorum fortium interitus ex Jovis consilio ac decreto evenit, quod ex Il. I, 5. (Διὸς δ' ἐτελείετο βουλή) discimus, ita Ulixis post longos errores in patriam reditum et procorum poenam in Minervae voluntate ac consilio posita fuisse cognoscimus ex Od. V, 23 sq., ubi Juppiter Minervae

οὐ γὰρ δή, *inquit*, τοῦτον μὲν ἐβούλευσας νόον αὐτή,
ὡς ἤτοι κείνους Ὀδυσεὺς ἀποτίσεται ἐλθών;

Vid. Naegelsbach. l. l. p. 54. Eadem impellente dea quod voluit fieri ad effectum adducitur.[5]) Decimo enim anno post Troiae excidium, cum omnes qui mortem effugerant Graecorum principes in patriam revertissent, Ulixes in Ogygia insula a Calypso Nympha invitus retinetur, quamvis redire in patriam et ad suos cupiens, dum Ithacae procorum caterva uxorem eius, coniugis desiderio flagrantem, ambiendo fatigat regisque fortunas consumit, quoniam adolescens adhuc filius consilii expers et procorum insolentiae impar est. Jam Penelope coacta est telam, qua Minerva auctore adhuc procos fefellit, perficere (Od. XIX, 155 sq.), nec ulla restat ratio, quam inire ad depellendum procorum impetum possit, cum Minerva in concilio deorum, absente Neptuno Ulixi propter caecatum Polyphemum infesto, causam suscipit Ithacensium regis Jovemque admonet, quam immerito a nympha retineatur, et ab eo impetrat, ut Mercurium Ogygiam mittere constituat, qui Calypsoni imperet, ut Ulixem dimittat; ipsa se Ithacam pollicetur ituram, ut Telemachum animo confirmet eumque iubeat ad Nestorem, Pyli regem, et ad Menelaum, regem Spartae, qui ultimi e bello Troiano in patriam redierant, proficisci eosque de patre percontari (Od. I, 48 sq.)[6]) Statim avolat Ithacam et Mentae, Taphiorum regis, induta specie adit Telemachum, cui vivere Ulixem nec diu afuturum affir-

[5]) In altero Homeri carmine Apollinis impulsu res incipit. Ex Iliad. I, v. 9: „τίς τ' ἄρ σφωε θεῶν ἔριδι ξυνέηκε μάχεσθαι;“ discimus, actionis exordium a deo aliquo ductum epici carminis proprium esse.

[6]) Od. XIII, 422. Minerva dicit se hoc iter Telemacho suasisse, ἵνα κλέος ἐσθλὸν ἄροιτο κεῖσ' ἐλθών, h. e. ut et ipse a posteris celebrari carminibus possit.

mat tantumque ei animi addit, ut fortiter resistere procis audeat, quod statim animadvertit Antinous, ut deum aliquem mutatae mentis auctorem esse suspicetur (I, 384 sq.); tum hortatur eum ut Pylum et Spartam se conferat, et quae ad iter necessaria sunt, cum proci praestare Telemacho nolint, ipsa comparat et mutata in Mentoris, Ulixis amici, speciem cum Telemacho Pylum se confert, ubi timidi adolescentis animum confirmat quidque faciendum sit docet et a Nestore impetrat, ut filius eius Pisistratus Telemachum Spartam proficiscentem comitetur. Quae postquam perfecit, abit ita, ut qui adsunt deam agnoscant (III, 371 sq.)[7]) Penelopen autem, quae filii itinere et procorum, qui necem redeunti moliuntur, consilio cognito anxia atque sollicita est, missa per quietem imagine consolatur nuntiando, filium rediturum incolumem, comitem eius Minervam esse. Jam corum, quae in concilio deorum decreta sunt, ea pars, quam Minerva ipsa exsequendam susceperat, perfecta est, altera, quae Mercurio erat mandanda, nondum ad effectum adducta. Itaque primo mane post cam noctem, qua proci solverunt navem, ut Telemacho insidias pararent, septimo Odysseae die, Minerva in deorum concilio Jovi in memoriam revocat Ulixis patriae desiderium, qui adhuc a nympha retineatur; ad hoc iam procos filio eius insidiari ostendit.[8]) Quo facto Juppiter ipsam iubet Telemachum incolumem reducere in patriam, Mercurium autem Ogygiam mittit, ut nymphae Ulixem statim dimittendum esse denuntiet. Post septendecim dierum navigationem conflata a Neptuno tempestate et discussa, qua Ulixes vehebatur, rate Minerva sedatis ceteris ventis efficit, ut dato a Leucothea velo usus aquilone nando ad Phaeacum insulam feratur, ubi fessum ac fatigatum dulci somno recreat (V, 382 sq.) Tum, quo facilius hospitio recipiatur Alcinoi, dormientem adit filiam regis Nausicaam eamque hortatur, ut prima luce vestes lavatum cum ancillis se conferat ad mare, ubi Ulixes somno sopitus iacebat. Ibi perfecto lavandi vestes negotio cum pila ludant puellae, Minerva efficit, ut clamore earum Ulixes expergiscatur, (VI, 110 sq.) et fugientibus ceteris Nausicaae animum confirmat, ut manere et Ulixem, ut se in urbem revectam sequatur, invitare audeat. Tum Minerva, postquam lavato iuvenile addidit robur ac decus, urnam ferentis puellae induta specie eum ad regiam ducit Alcinoi docetque, quid faciendum sit, ut benigne recipiatur (VII, init.). Postero die ipsa sumpto praeconis habitu Phaeaces ad concionem vocat, in qua Alcinous iubet parari, quae ad Ulixem in patriam devehendum necessaria sint (VIII, 7 sq.); eadem impellit Phaeaces, ut amplissimis eum donis afficiant (XIII, 121. 305.). Traiectus a Phaeacibus in Ithacam densa a Minerva circumfunditur nebula, ne agnoscat patriam, priusquam ipsa ei, quae deinde facienda sint, exposuerit, neve Ithacenses aut Penelope, antequam ultus sit procos, de reditu eius certiores fiant (XIII, 190 sq. cf. Facsi. ad h. l.). Tum sumpto pastoris habitu Ulixi, ubi sit seque Minervam esse, aperit (XIII, 221 sq.) et, ne quid ei restet dubitationis, dispulsa qua circumfusus est, nebula

[7]) Postea semel tantum Telemacho apparet XV, 10 sq., ubi ex Jovis mandato (V, 25 sq.) Spartae commorantem adit atque in Ithacam reverti iubet docetque, qua ratione evitare procorum insidias possit.

[8]) V, 18—20. ea respiciunt, quae IV, 660 sq. narrantur. Ceterum Minerva lib. V, init. ita Jovem alloquitur, quasi oblita sit quae ille antea promisit, et Juppiter ita respondet, quasi nesciat quid antea decreverit. Vid. W. Müller. Homerische Vorschule. p. 127 sq.

insulam ostendit cumque eo de procorum caede deliberat et de rerum suarum statu edocto perpetuum suum pollicetur auxilium; monet, ut primum adeat subulcum; sese interim filium eius Sparta arcessituram. Tum virga tacto [9]) speciem dat mendici senis (XIII, 429 sq.), et dum Ulixes ad Eumaeum se confert, ipsa Spartam abit, ubi vana ac falsa de Penelope narrando Telemacho, ut in patriam revertatur, persuadet eique praecipit, ut statim Eumaeum adeat eumque iubeat matri adventum suum nuntiare (XV, init.).[10]) Post Telemachi in Ithacam adventum Eumaeo in urbem misso Ulixem non conspecta a filio eius nutu ad se vocat e tugurio subulci monetque ut, qui sit, Telemacho aperiat cum eoque in urbem se conferat ad ulciscendos procos; se ipsam, avidam pugnae, illis auxilio futuram (XVI., 155); deinde tacto virga priorem reddit speciem, ut Telemachus deum se cernere existimet; sed mox eum, ne a reverso ex urbe subulco vel a procis agnoscatur, rursus in senem convertit. Deinde cum Eumaeo in urbem eunti (nam Telemachus iam eo praeiverat) ac metuenti imminens certamen animum confirmat (XVII, 360 sq.) Sed quo propius ultimi discriminis tempus advenit, eo magis dea procorum se vindicem praestans, ne illi resipiscant et ad sanitatem mentemque revocentur, Penelopen, aucta corporis eius venustate ac pulchritudine, quo insanior fieret procorum cupiditas, impellit, ut eorum se turbae immisceat (XVIII, 158): qui deinde a dea incitati maledictis contumeliisque Ulixi iram augent (cf. XVII, 364), ut is ad puniendam eorum insolentiam sit paratior. Vesperi cum Ulixe de procorum caede deliberat (XIX, 2); tum ei cum Telemacho arma ex atrio in locum abditum portanti facem praefert (XIX, 33 sq.) Penelopen autem, cui Euryclea cicatricem pedis, qua ipsa dominum agnovit, ostendere vult, impedit, quominus oculos eo convertere possit (XIX, 478 sq.). Insequenti nocte Ulixi propter imminentem cum procorum turba dimicationem anxio ac sollicito animum confirmat suum ipsius pollicendo auxilium, ut dulci recreetur somno (XX, 30 sq.) Sequenti die, quo die Ulixes poenas repetiturus est a procis, non desinit eos instigare ad facienda ea, quibus maxime exardescat Ulixis ira (XX, 284 sq. cf. XVIII, 346), et convivantibus ebrietatis vim augendo magis magisque mentem alienat, ut adeo Theoclymenum vatem, qui horrendam caedem animo praevidet, cavillatione minisque persequantur (XX, 345 sq. cf. II, 396.) Deinde, ut caedis initium fiat, Minerva Penelopen impellit ut certamen apparet, quod antea (XIX, 572 sq.) deae impulsu indixerat, ei se nupturam promittens qui vicisset; quo quidem certamine Ulixi primi coniiciendi in procos teli occasio datur (XXI, init.); Penelopen autem, quae Telemachi iussu, ante quam inciperet pugna, in cubiculum se recepit, ne caedem animadvertat, arto consopit somno (XXI, 358 cf. XXIII, 19.) Commissa pugna ac nonnullis iam procorum occisis, postquam reliquorum pars Melanthi caprarii opera armis instructa est, sollicito ea re Ulixi animi infirmitatem exprobrat et pugnantium alacritatem accendit (XXII, 205 sq.), et procorum tela vana efficit; deinde

9) Minerva h. l. virga utitur, ut Circe X, 238. 319 (cf. 293). Idem facit XVI, 172. 456. Aliis locis, ut VI, 229 sq. non utitur virga ad mutandam Ulixis speciem. Il. XIII, 59. Neptunus utitur σκηπανίῳ. Vid. Facsi. ad Od. XIII, 429 et prolegom. ad Odyss. p. XVII.

10) Ut solus et sine arbitris cum patre colloqui possit.

atrii tecto insidens delectatur spectaculo, donec sublata aegide disturbat procos, ut facile omnes interficiantur (XXII, 297 sq.). Caede peracta Ulixi venustatem tribuit et pulchritudinem (XXIII, 156), et postquam Penelope coniugem agnovit, quo diutius alter alterius frui sermone possit, noctem producit; eadem Ulixi cum Telemacho rus ituro ad Laerten patrem diem adducit (XXIII, 345 sq.) eosque, ut clam Ithacensibus urbe exire possint, densa circumfundit nube (ibid. 371 sq.). Postremo imminente cum caesorum propinquis certamine in deorum concilio Jovis exquirit voluntatem, [11]) qua comperta in Mentoris speciem conversa gratiam inter pugnantes et perpetuam pacem conciliat. (XXIV, 472 sq.)

Videmus igitur in Minervae voluntate ac consilio positam esse actionem Odysseae et non solum eius opera decerni a Jove in deorum concilio Ulixis in patriam reditum et procorum poenam, sed etiam perpetuo eius interventu adiutum Ulixem ea, quae decreta sunt, efficere. Notandum autem est, unam Minervam Ulixi adesse et neque Jovem neque Junonem neque ceteros deos momenti quidquam habere ad reditum eius et victoriam. Haec est res, in qua praecipuum inter duo Homeri carmina positum est discrimen. In Iliade enim dii Olympii prope omnes rebus humanis intersunt, et Troiani non minus quam Graeci complures deos patronos habent. Accedit quod, quum in Iliade dii humano more inter se impugnent, in Odyssea nullum deorum certamen est. Minerva enim, quum in Iliade non raro Jovi adversetur, in Odyssea cum deorum rege semper concordat nec ulla inter patrem filiamque dissensio est. Praeter Minervam autem unus Neptunus momentum habet ad Ulixis sortem, qui quidem, ut illa adiuvare virum studet, ita morari reditum eius ac difficilem reddere conatur; sed ne cum hoc quidem deo Minerva hostilem in modum congreditur.

Quum in principali Odysseae actione Minerva perpetuo se praestet Ulixis adiutricem ac patronam, mirandum sane est, in ea carminis parte, in qua Ulixes coram Alcinoo rege eos casus ac pericula narrat, quae usque ad id tempus expertus est, quo Calypsonis in insulam pervenit (lib. IX—XII), nullam Minervae patrocinii mentionem fieri, praeterquam quod IX, 316 Ulixes speravisse se dicit fore, ut Minervae ope ulciscendo Cyclopem gloriam adipisceretur. Patronae ope destitutum et suo Marte subeuntem pericula videmus in Ciconum ac Lotophagorum terra, apud Cyclopes et Laestrygones, inter Scyllam atque Charybdim; nam a Circe edoctus est tantummodo, quae pericula immineant, inter pericula ipsa nullus ei deorum adest. Ad evitandam Circaeam fascinationem Mercurii [12]) quidem — non Minervae — utitur ope; sed herbam illam magicam (τὸ μῶλυ) qui reperire quisquam, nisi deus, potuit? Aeolus ventos omnes, non secundos tantum, eius permittit arbitrio nec socios, quid insit in utre, ne aperiant eum, edocet. Poeta igitur nullas Minervae nisi in principali Odysseae actione partes esse voluit; in hac autem eam vim idque momenti habet eius interventus, ut fere agere videatur sola et Ulixi semper praesto sit, etiam tum, quum humanae vires ad superandas difficultates sufficere videntur (ut VII, 19 sqq. aliisque locis complu-

11) Videtur h. l. eam ob causam poeta Minervam Jovis consilium exquirentem facere, quod procorum peracta caede ea, quae antea (lib. I. et V.) decrevit, iam omnia peracta sunt.

12) „Hermes ist als ἐριούνιος der auch ohne Auftrag freundlich hülfreiche, geleitende, vermittelnde Gott." Naegelsbach, l. l. p. 112.

ribus). Ulixes autem non sui videtur esse arbitrii, sed deae semper consilium auctoritatemque sequitur, ita quidem, ut ingenium viri singulare atque illae, quibus unus inter omnes eminet, virtutes minus conspiciantur. In apologo autem, quem vocant, Ulixis prudentia consiliumque ita elucet, ut ea carminis pars ad divinam mentem eius illustrandam inserta esse videatur.

Ceterum Ulixes tum demum certior fit, Minervam adiutricem suam in laboribus ac periculis esse, quum Ithacam advecto dea ipsa rem aperit (XIII, 299 sq.) Quod ante id tempus non aperte Minerva Ulixi adfuit, causam hanc fuisse apparet, quod metueret Neptunum, cuius iram Ulixes caecato Polyphemo et insultando patri eius[13]) sibi conflaverat. Cf. VII, 328 sq.:

ὣς ἔφατ' εὐχόμενος · τοῦ δ'ἔκλυε Παλλὰς Ἀθήνη ·
αὐτῷ δ'οὔπω φαίνετ' ἐναντίη · αἴδετο γάρ ῥα
πατροκασίγνητον · ὁ δ'ἐπιζαφελῶς μενέαινεν
ἀντιθέῳ Ὀδυσῆϊ, πάρος ἣν γαῖαν ἱκέσθαι.

et XIII, 340 sq., ubi Minerva dicit:

ἀλλά τοι οὐκ ἐθέλησα Ποσειδάωνι μάχεσθαι
πατροκασιγνήτῳ, ὅς τοι κότον ἔνθετο θυμῷ,
χωόμενος ὅτι οἱ υἱὸν φίλον ἐξαλάωσας.

Neptunus enim filium exaudiverat haec precatum (IX, 530 sq.):

δὸς μὴ Ὀδυσσῆα πτολιπόρθιον οἴκαδ' ἱκέσθαι,
υἱὸν Λαέρτεω, Ἰθάκῃ ἔνι οἰκί' ἔχοντα ·
ἀλλ' εἴ οἱ μοῖρ' ἐστὶ φίλους τ'ἰδέειν καὶ ἱκέσθαι
οἶκον ἐϋκτίμενον καὶ ἑὴν ἐς πατρίδα γαῖαν,
ὀψὲ κακῶς ἔλθοι, ὀλέσας ἄπο πάντας ἑταίρους,
νηὸς ἐπ' ἀλλοτρίης, εὕροι δ'ἐν πήματα οἴκῳ —

et filii iniuriam conquerendo Jovem perpulerat, ut post longum demum tempus et amissis omnibus sociis Ulixem in patriam reverti pateretur (cf. Nitzsch. l. l. III. p. XIV. sq.). Aliquando enim eum redire fatum erat (V, 288, 345.). Inde continua malorum series, amissio sociorum longumque patriae desiderium. Sed etiam post quam Minerva a Jove impetravit, ut tandem Ulixi reverti in patriam liceret (V, 34—38), Neptunus, cuius ut fratris deorum regis ea inter deos Olympios auctoritas est, ut impune audeat Jovi implacabili ira minitari, si se invito Troiam servaverit (Il. XV, 212 sq.), et Juppiter ipse eum *πρεσβύτατον καὶ ἄριστον* appellet (Od. XIII, 142) eiusque propter iram gratificari Ulixi se non potuisse dicat (I, 68), is igitur nihil curans fratris decretum (V, 286), ut quam difficillimum reddat Ulixi reditum, concitata tempestate ratem, qua ab Ogygia insula vecturus est Scheriam, discutit.[14])

---

13) *ὣς ἔφατ', αὐτὰρ ἐγώ μιν ἀμειβόμενος προσέειπον.*
αἲ γὰρ δὴ ψυχῆς τε καὶ αἰῶνός σε δυναίμην
εὖνιν ποιήσας πέμψαι δόμον Ἄϊδος εἴσω,
ὡς οὐκ ὀφθαλμόν γ'ἰήσεται οὐδ' Ἐνοσίχθων. Od. IX, 523—28.

14) Neptuni ira ultimum cernitur XIII., 125 sq. mutata in saxum nave, qua Phaeaces Ulixem dormientem

Minerva autem, ut supra vidimus, quavis ratione eum sublevare studet, sed cum certare cum avunculo vereatur (XIII, 340), caute agit, ut Ulixes ipse se a dea adiuvari non sentiat. Post sermonem autem, quem habuit cum Minerva XIII, 299 sqq., ita compertum habet, se in deae tutela esse, ut etiam in Mentoris speciem conversam haud difficulter agnoscat (XXII, 205 sqq.)

Caput II.

Quales Homerus deos finxerit qui secum reputaverit, nihil mirabitur tam frequens apud eum caelestium cum mortalibus commercium esse. Apud Homerum enim dii hominibus similes et corporibus humanis praediti sunt, ita tamen, ut in fingenda deorum specie poeta perfectam quandam hominum atque omnibus numeris absolutam imaginem animo concepisse videatur. Iidem hominum more vivunt. Nam et cibo potioneque et somno fruuntur et hominum in modum vestiti sunt; armis quoque iisdem, quibus homines, utuntur, excepto Jove, cuius fulmen est. Sed quamquam dii Homerici humana induti sunt specie, aliquanto tamen maiores, robustiores, velociores pulchrioresque sunt quam heroes illi, quorum in carminibus Homericis praeclara facta celebrantur; ad hoc res admirabiles humanarumque virium modum superantes efficere possunt.[15]) Praeterea eo differunt ab hominibus, quod, etsi nati aliquando sunt nec ab omni aeternitate fuerunt, tamen nunquam senescunt suntque immortales (*ἀθάνατοι, ἀγήραοι, ἀειγενέται, οὐ μόρσιμοι*). Iidem vulgo quidem non cernuntur mortalium oculis, sed tamen aut suo habitu aut in varias conversi species in conspectum venire hominum possunt. Quamvis autem corporis mentisque virtutibus conspicui sint et mortalibus vel perfectissimis antecellant, tamen moribus suis longissime absunt a perfectione; nam odisse, irasci, invidere, alia eiusmodi non minus in deos quam in homines cadunt. Quae cum ita sint, quis miretur familiaritatem quandam diis consuetudinemque cum hominibus esse? Sed in caelestium cum mortalibus commercio gradus quidam sunt distinguendi. Iis enim temporibus, quibus eae res gestae sunt, quae poetae carminum materiam praebuerunt, iam rarior ea consuetudo

---

Ithacam vexerunt, et urbe eorum monte circumdata. Namque Od. VII., 430 sq. legimus, Neptunum Ulixi ante eius in patriam adventum succensuisse. Perperam igitur iam veteres nonnulli Homeri interpretes Tiresiae vaticinium XI, 134 sq. *θάνατος δέ τοι ἐξ ἁλὸς αὐτῷ ἀβληχρὸς μάλα τοῖος ἐλεύσεται* etc. ita acceperunt, ut Tiresiam praedixisse putarent, e mari venturam esse Ulixi mortem, eaque re arbitrarentur ultimum Neptuni irae effectum significari. *Ἐξ ἁλὸς* enim h. l. idem est quod *ἔξω ἁλός*. Ex falsa loci interpretatione orta esse videtur fabula illa notissima, Telegonum, Circes ex Ulixe filium, missum a matre ut quaereret patrem, quum tempestate in Ithacam delatus praedaretur, orto cum Ulixe et Telemacho certamine patrem raiae marinae spina interfecisse. V. interpretes ad Horat. Od. III., 29. 8.

15) Quod Od. X., 306 legitur *θεοὶ δέ τε πάντα δύνανται* (cf. Od. IV., 237. XIV., 445) et Od. IV, 379. 468 *θεοὶ δέ τέ πάντα ἴσασιν*, non ita intelligendum esse, ut scientiam ac potentiam deorum infinitam nullisque circumscriptam finibus poeta esse dicat, qualem nos divini numinis esse credimus, sed ita ut dii credantur scire et posse efficere res, quibus cognoscendis aut efficiendis ne sapientissimi quidem potentissimique hominis prudentia aut vires sufficiant, observarit Nitzsch. l. l. I., p. 269. Naegelsb. l. l. p. 23 sq.

ac minus familiaris fieri coeperat. Quod cum ex aliis rebus, tum ex eo potest colligi, quod, cum prioribus temporibus feminas mortales diis nupsisse reperiamus, filios quidem ac nepotes deorum non paucos, ut Sarpedonem, Achillem, Aeneam, Tlepolemum, alios, bello Troiano interesse,[16]) sed deorum Olympiorum nullum eo tempore cum mortali femina connubio coniunctum videmus. Quod Alcinous Od. VII, 201 sqq. de Phaeacibus praedicat:

αἰεὶ γὰρ τὸ πάρος γε θεοὶ φαίνονται ἐναργεῖς
ἡμῖν, εὖτ' ἔρδωμεν ἀγακλειτὰς ἑκατόμβας,
δαίνυνταί τε παρ' ἄμμι καθήμενοι ἔνθα περ ἡμεῖς.
εἰ δ'ἄρα τις καὶ μοῦνος ἰὼν ξύμβληται ὁδίτης,
οὔτι κατακρύπτουσιν, ἐπεί σφισιν ἐγγύθεν εἰμέν,
ὥσπερ Κύκλωπές τε καὶ ἄγρια φῦλα γιγάντων —

id insolitum est et praeter illorum temporum consuetudinem, paucisque mortalium ita cum diis coniuncte vivere licet, qui aut consanguinei eorum, ut Phaeaces (v. 205), aut praeter ceteros mortales grati iis acceptique sunt.[17]) In quorum numero Ulixes habendus est, cui in Od. lib. XIII et XVI, adeo se Minerva familiarem praebet, ut eximiam eam ac singularem viri fautricem esse facile appareat. Etsi vero belli Troiani temporibus rarior iam ac minus familiaris deorum cum hominibus consuetudo est, tamen dei omnes, Jove excepto, cuius ut deorum patris ac regis maior maiestas est, quam ut coram interesse mortalibus et rebus humanis ipse sese interponere possit,[18]) etiamtum satis saepe cum hominibus commercium habent. Id autem fit variis rationibus. Nam aut suam ipsorum habentes formam, aut in alienam conversi speciem dii mortalibus intersunt. Si sua specie rebus humanis intersunt, aut conspiciuntur ab hominibus aut in conspectum non veniunt. Convertuntur autem aut in hominum, aut in animalium, aut in rerum inanimarum speciem (Naegelsbach. p. 157.). Deorum formam iam supra diximus hominibus similem, sed maiorem augustioremque finxisse poetam. Hoc loco monendum est, unicuique deorum suam propriam apud Homerum speciem esse, ut, cum in conspectum venire hominibus velint, facile possint agnosci. cf. Nitzsch. l. l. III, p. 128. Itaque Ulixes Od. X, 277 sqq. Mercurium obviam sibi venientem, ut indicet, qua ratione eam, quam Circe molitur, fascinationem effugere possit, statim agnoscit, sine dubio eam ob causam, quod deus ea forma indutus apparet, quam Homerici temporis homines ei tribuebant,

νεηνίῃ ἀνδρὶ ἐοικώς,
πρῶτον ὑπηνήτῃ, τοῦ περ χαριεστάτη ἥβη.

cf. Il. XXIV, 347 sq., ubi de eodem deo haec legimus:

βῆ δ' ἰέναι κούρῳ αἰσυμνητῆρι ἐοικώς,
πρῶτον ὑπηνήτῃ, τοῦ περ χαριεστάτη ἥβη.

---

16) Il. XVI, 448: *πολλοὶ γὰρ περὶ ἄστυ μέγα Πριάμοιο μάχονται*
υἱέες ἀθανάτων.

17) Vid. de hac re Naegelsbach. l. l. p. 151 sqq.

18) In Iliade Apollo Jovis decreta executurus ad mortales mittitur, Iris deorum regis nuntia est, in Odyssea Minerva et Mercurius his funguntur muneribus. cf. Nitzsch. l. l. I, p. 23.

Homerum certam quandam singulorum deorum formam ac speciem concepisse animo atque finxisse, vel ex eo colligi potest, quod epitheta quaedam apud eum propria singulis deis usitatissima sunt. Ita Minervam *γλαυκῶπιν*, Junonem *βοῶπιν*, *λευκώλενον*; Neptunum *κυανοχαίτην* solet appellare. Idem manifestum est eo, quod Il. II, 478 sq. Agamemnonem dicit *ὄμματα καὶ κεφαλὴν ἴκελον Διῒ τερπικεραύνῳ, Ἄρεϊ δὲ ζώνην, στέρνον δὲ Ποσειδάωνι.* Inde etiam *ἀρίγνωτοι* vocantur dii Il. XIV, 72. Sed animadvertendum est, deos, quum suam ac propriam habentes speciem in conspectum veniant hominum, a singulis tantum hominibus, nunquam a pluribus conspici et agnosci, Phaeacibus exceptis, de quorum magna cum diis familiaritate supra diximus. Ita Od. XVI, 161, postquam narravit poeta, Minervam post Eumaei discessum in conspectum venisse Ulixi nec a Telemacho visum esse,

οὐ γάρ πω, inquit, *πάντεσσι θεοὶ φαίνονται ἐναργεῖς.*

cf. Il. I, 197 sq.:

στῆ δ'ὄπιθεν, ξανθῆς δὲ κόμης ἕλε Πηλείωνα,
οἴῳ φαινομένη· τῶν δ' ἄλλων οὔτις ὁρᾶτο.

Atque locus ille Il. XI, 714 sqq.:

ἄμμι δ' Ἀθήνη
ἄγγελος ἦλθε θέουσ' ἀπ' Οὐλύμπου θωρήσσεσθαι
ἔννυχος, οὐδ' ἀέκοντα Πύλον κάτα λαὸν ἄγειρεν,
ἀλλὰ μάλ' ἐσσυμένους πολεμίζειν·

non eiusmodi est, ut deam a pluribus conspici atque audiri demonstret. Nam, ut recte monet Faesi. ad l., non ab universo populo, sed a principe solo eam conspici cogitandum est. Quae cum ita sint, versum Od. XI, 547:

παῖδες δὲ Τρώων δίκασαν καὶ Παλλὰς Ἀθήνη

iam Aristarchus iure non esse Homericum iudicavit eam praecipue ob causam, quod deae cum pluribus hominibus commercium ab Homerico usu abhorret.[19]) Dii igitur conspiciuntur quum volunt et a quo volunt conspici.[20]) Si in hominis alicuius formam conversi mortalibus apparent, semper conspiciuntur, nec ab uno tantum; agnoscuntur autem, si volunt agnosci, et maxime quidem ex veniendi vel abeundi ratione, praecipue autem ex inusitata, qua avolant, celeritate.

Deinceps, ut erat propositum, paucis demonstrandum est, quibus rationibus Minerva in Odyssea interveniat.

1) Primum igitur illa agit nec mutata nec in conspectum veniens hominum. Id duobus modis fieri videmus. Nam aut accedit ad homines, aut procul efficit quod vult. Hoc saepissime fit, ut cum moerorem mitigat Penelopae eo quod somnum affert fundenti lacrimas I, 363 (cf. XVI, 450 sq. XVIII, 188. XIX, 604 sq. XXI, 357 sq.), cum Te-

---

19) cf. Schimmelpf. l. l. p. 30.

20) Si nolint agnosci, non cerni deos mortalium oculis, apparet ex Od. X, 573 sq., ubi haec legimus:

τίς ἂν θεὸν οὐκ ἐθέλοντα
ὀφθαλμοῖσιν ἴδοιτ' ἢ ἔνθ' ἢ ἔνθα κιόντα;

lemacho in concionem eunti venustatem addit II, 12 (cf. VI, 229 sqq. XVII, 63, XVIII, 190 sqq. XXIII, 156 sqq.), cum prudens Ulixi consilium suppeditat V, 427. 437, cum eidem Phaeacum urbem intranti, ne quis cernere eum possit, nubem circumfundit. VII, 14. (cf. 40. 140. XIII, 189 etc.). Alterum illud rarius. III, 435 sq. venit Minerva in regiam Nestoris, ut sacrificali intersit coenae[21]). XIX, 33 sq. facem praefert Ulixi filioque eius arma abditum in locum portantibus. XVII, 360 sqq. Ulixem impellit, ut stipem colligat inter procos. XVII, 69 membra confirmat Ulixi, ut cum Iro pugnam sustinere possit.

2) Dea immutata in conspectum venit. Hic primum afferendus est locus Od. XV, 7 sqq., ubi Minerva ad Telemachum noctu vigilantem accedit et Ithacam avocat. Jure mireris, h. l. ne verbo quidem indicari deam a Telemacho agnosci; is enim neque Pisistrato neque Menelao se a Minerva reverti iussum esse, sed patriae se desiderio teneri dicit. Alter est locus XIII, 287 sqq., ubi Minerva eam repente assumit speciem,[22]) ut Ulixes se cum dea colloqui statim cognoscere possit. Neque enim expressis verbis se Minervam esse dicit, sed non dubitans, quin iam ab Ulixe agnoscatur, haec dicit (296 sqq.):

ἀλλ' ἄγε μηκέτι ταῦτα λεγώμεθα, εἰδότες ἄμφω
κέρδε', ἐπεὶ σὺ μέν ἐσσι βροτῶν ὄχ' ἄριστος ἁπάντων
βουλῇ καὶ μύθοισιν, ἐγὼ δ' ἐν πᾶσι θεοῖσιν
μήτι τε κλέομαι καὶ κέρδεσιν· οὐδὲ σύ γ' ἔγνως
Παλλάδ' Ἀθηναίην, κούρην Διός —

Et v. 312 sq. Ulixes respondet:

ἀργαλέον σε, θεά, γνῶναι βροτῷ ἀντιάσαντι,
καὶ μάλ' ἐπισταμένῳ· σὲ γὰρ αὐτὴν παντὶ ἐΐσκεις.

h. e. antea te agnoscere non potui, quia non ut dea, sed in varias conversa formas te mihi obviam tulisti. Itaque statuendum videtur, h. l. Minervam eam assumere speciem, quae deae conveniat quaque statim agnosci possit. Facile apparet longe aliam huius loci rationem esse atque VII, 20, ubi Minerva Ulixi obviam se fert

παρθενικῇ εἰκυῖα νεήνιδι, κάλπιν ἐχούσῃ,

mutato habitu, ne agnoscatur. Perperam igitur iudicare videntur, qui poetam vituperant, quod XIII, 287 sine ulla causa atque inepte Minervae forma denuo mutetur. Simillima autem videtur esse ratio loci supra iam laudati X, 277, ubi Mercurius Ulixi obvius fit νεηνίῃ ἀνδρὶ ἐοικὼς πρῶτον ὑπηνήτῃ, τοῦπερ χαριεστάτη ἥβη, ad quem locum recte monet Nitzsch III, p. 128, non in alienam conversum speciem, sed suo ipsius habitu obvium se dare Mercurium, ut statim agnosci ab Ulixe debeat. Nec minus nostro loco offensioni est v. ῄκτο, quam illic partic. ἐοικώς. cf. Nitzsch. l. l. p. 129. — Eodem habitu divino Minerva cum Ulixe quae a Phaeacibus accepit dona in specu occultat (362 sqq.) et cum eo de caede procorum deliberat (372 sqq.) Postquam Telemachus Eumaeum ad Penelopen misit,

21) Ita vulgo dii sacrificiis, quae iis placebant, oculorum obtutum fugientes interesse putabantur.

22) δέμας δ' ἤικτο γυναικί
καλῇ τε μεγάλῃ τε καὶ ἀγλαὰ ἔργ' εἰδυίῃ.

ut eam de reditu suo certiorem faceret, Minerva sua specie accedit ad subulci tugurium XVI, 155 sqq.

ἀλλ' ἥγε σχεδὸν ἦλθε· δέμας δ' ἤικτο γυναικί
καλῇ τε μεγάλῃ τε καὶ ἀγλαὰ ἔργ' εἰδυίῃ,
στῆ δε κατ' ἀντίθυρον κλισίης Ὀδυσῆι φανεῖσα·
οὐδ' ἄρα Τηλέμαχος ἴδεν ἄντιον οὐδ' ἐνόησεν —
οὐ γάρ πω πάντεσσι θεοὶ φαίνονται ἐναργεῖς.

Non conspicitur a Telemacho, Ulixem vero et canes, quo minus ipsam videant et agnoscant, non impedit:

ἀλλ' Ὀδυσεύς τε κύνες τε ἴδον, καί ῥ' οὐχ ὑλάοντο,
κνυζηθμῷ δ' ἑτέρωσε διὰ σταθμοῖο φόβηθεν.

XX, 30 sqq. Ulixi de imminentis certaminis eventu sollicito atque insomni dea apparet eiusque anxium animum confirmat:

σχεθόθεν δέ οἱ ἦλθεν Ἀθήνη
οὐρανόθεν καταβᾶσα· δέμας δ' ἤικτο γυναικί.

(accuratior descriptio, quae est XIII, 287, h. l. omissa est, Ulixes statim deam agnoscit, nam v. 37

ναὶ δή, *inquit*, ταῦτά γε πάντα, θεά, κατὰ μοῖραν ἔειπες.

3. Minerva mortalibus apparet in hominis alicuius speciem mutata. Complura huius rei afferri possunt exempla; ea autem partim eiusmodi sunt, ut dea quamvis mutato habitu agnoscatur, partim eiusmodi, ut non agnoscatur. Od. I, 102 sqq. dea ad Telemachum se confert in speciem conversa Mentae, Taphiorum regis:

εἰδομένη ξείνῳ Ταφίων ἡγήτορι Μέντῃ.

postquam Jovis mandata exsecuta est, avolando efficit ut Telemachus deam domi suae fuisse suspicetur: I, 320 sqq.: ὄρνις δ' ὣς ἀνόπαια διέπτατο· — ὁ δὲ φρεσὶν ᾗσι νοήσας θάμβησεν κατὰ θυμόν· ὀΐσατο γὰρ θεὸν εἶναι, et v. 420: φρεσὶ δ' ἀθανάτην θεὸν ἔγνω· II, 262: κλῦθί μευ, ὃ χθιζὸς θεὸς ἤλυθες ἡμέτερον δῶ. cf. 372, ubi Telemachus Eurycleae iter dissuadenti

θάρσει, μαῖ', *inquit*, ἐπεὶ οὔ τοι ἄνευ θεοῦ ἥδε γε βουλή.

Eurymachus autem, qui et ipse tam celeriter abiisse Mentem miratur, deam non agnoscit (I, 405 sqq.), ut statuendum esse videatur, a solo Telemacho eam agnosci voluisse. — II, 382 sqq. in Telemachi mutata formam per urbem itineris comites conquirit et a Noemone navem petit atque impetrat. — II, 267 sqq. Telemacho apparet Mentoris, hospitis paterni, induta specie eique promittit se itineris comitem fore. ibid. 399 sqq. eadem specie Telemachum certiorem facit, comites esse paratos, dein ei praeit ad navem et cum eo Pylum navigat. III, 371 sqq. demum avolando agnoscitur:

ὣς ἄρα φωνήσασ' ἀπέβη γλαυκῶπις Ἀθήνη,
φήνῃ εἰδομένη· θάμβος δ' ἕλε πάντας ἰδόντας.

Nestor Telemacho

ὦ φίλος, inquit, οὔ σε ἔολπα κακὸν καὶ ἄναλκιν ἔσεσθαι,
εἰ δή τοι νέῳ ὧδε θεοὶ πομπῆες ἕπονται.
οὐ μὲν γάρ τις ὅδ' ἄλλος Ὀλύμπια δώματ ἐχόντων,
ἀλλὰ Διὸς θυγάτηρ, κυδίστη Τριτογένεια,
ἥ τοι καὶ πατέρ' ἐσθλὸν ἐν Ἀργείοισιν ἐτίμα.

VI, 13 sqq. Nausicaae apparet dormienti Dymantis filiae, aequali eius, similis eique suadet, quae sint Ulixi profutura. VII, 19 sq. Ulixi Phaeacum urbem intranti obviam se fert in speciem virginis urnam ferentis conversa eique Alcinoi domum ostendit. Ulixes ne suspicatur quidem Minervam esse ducem suam. Quare locum Od. XIII, 320—23 suppositicium esse cum aliis ex caussis, tum praecipue idcirco, quod Ulixes a Minerva se in Phaeacum urbem ductum esse dicit, iam veteres critici intellexerunt. VIII, 7 sq. mutata in praeconis speciem Phaeaces ad concionem vocat:

ἡ δ' ἀνὰ ἄστυ μετῴχετο Παλλὰς Ἀθήνη,
εἰδομένη κήρυκι δαΐφρονος Ἀλκινόοιο.

ibid. 193 in viri speciem conversa locum significat, ad quem Ulixes discum coniecit:

ἔθηκε δὲ τέρματ' Ἀθήνη
ἀνδρὶ δέμας εἰκυῖα.

XIII, 221 sqq. Ulixi experrecto in patria et lamentanti apparet pastoris induta specie:

σχεδόθεν δέ οἱ ἦλθεν Ἀθήνη,
ἀνδρὶ δέμας εἰκυῖα νέῳ, ἐπιβώτορι μήλων,
παναπάλῳ, οἷοί τε ἀνάκτων παῖδες ἔασιν.

XXII, 205 sqq. ad Ulixem, Telemachum, Philoetium, Eumaeum cum procis pugnantes accedit in speciem conversa Mentoris, ut eorum animos accendat. Ulixes haec ad eam verba facit:

Μέντορ, ἄμυνον ἀρήν, μνῆσαι δ' ἑτάροιο φίλοιο,
ὅς σ' ἀγαθὰ ῥέζεσκον· ὁμηλικίη δέ μοί ἐσσι —

etsi Minervam esse suspicatur, ut e versu 210 apparet. Forsitan miretur aliquis, h. l. denuo deam aliena forma indutam, non, ut ante, sua ipsius specie pugnantibus apparere. In qua re si qua est difficultas, ea ita solvi posse videtur, si statuas deam non Ulixi solum, sed etiam tribus sociis animum augere eamque ob caussam ab omnibus conspici atque audiri velle, ut desinant metuere, ne a procis numero multo potioribus opprimantur. (v. 203 sq.) E versibus 233—235 colligi posse videtur, Minervam, postquam Ulixi verbis animum accendit, etiam pugnae se immiscuisse, ita tamen, ut nondum ei finem faciat (v. 236). Ceterum quod XXIV, 444 sqq. poeta Medontem praeconem dicentem facit, se sub Mentoris specie divinum numen agnovisse, cuius ope Ulixi contigerit interficere procos, cum nostro loco minime videtur congruere, ubi praeter Ulixem neminem deam agnovisse apparet. — Etiam XXIV, 502 sqq. Ulixi cum suis obviam ituro hostium agmini apparet in speciem mutata Mentoris et inter regem et populum pacem conciliat.

IV, 795 sqq. Minerva, cum alias ipsa dormientibus aut immutata aut in alienam speciem

conversa apparere soleat, imaginem facit Iphthimae, Penelopes sorori, similem eamque mittit ad Ulixis uxorem, ut consoletur eam de filio sollicitam.[23]) Similiter Il. II, 3 sqq. Juppiter specie per somnum oblata, quam Nestori similem fecit, Agamemnonem fallit. Utroque autem loco somniorum species, a quo deo missae sint, dormientibus aperiunt. Od. IV, 828 sq. Il. II, 26, 33. — Il. V, 449 sq. Apollo imaginem facit Aeneae, quem e proelio subduxit, similem et in eius locum substituit:

αὐτὰρ ὁ εἴδωλον τεῦξ' ἀργυρότοξος Ἀπόλλων
αὐτῷ τ' Αἰνείᾳ ἴκελον καὶ τεύχεσι τοῖον.

Ceterum observandum est, nostro loco speciem nocturnam a Penelope *θεὸν* appellari, de qua re v. Nitzsch l. l. II, p. 320.

4. Restat ut de iis locis paucis dicendum sit, quibus Minerva non in hominis alicuius, sed i n a v i s s p e c i e m m u t a t a mortalium in conspectum venit. Sunt omnino loci tres, de quibus disputandum est: I, 320.

ὄρνις δ' ὣς ἀν' ὀπαῖα (sic legendum videtur Naegelsbachio l. l. p. 160) *διέπτατο —*

III, 372: *ἀπέβη γλαυκῶπις Ἀθήνη φήνῃ εἰδομένη —*

XXII, 239 sq. *αὐτὴ δ' αἰθαλόεντος ἀνὰ μεγάροιο μέλαθρον*
ἕζετ' ἀναΐξασα, χελιδόνι εἰκέλη ἄντην.

Qui loci quomodo interpretandi sint, magna est inter viros doctos dissensio. Alii enim, ut Heynius ad Il. VII, 58. Tom. V, p. 508 et Nitzsch. ad Od. III, 371. Tom. I, p. 213, negaut, alii, ut Naegelsbach. l. l. p. 160, Schimmelph. l. l. p. 34 sqq. Kirchhof. in Musaei Rhenan. Tom. XV, 3, p. 331, aiunt avium speciem assumere posse deos. Nitzschius enim, si dii avibus similes dicantur, eam similitudinem ait referri debere solum ad abeundi celeritatem vel sedendi rationem, nec velle poetam deorum in aves conversionem significare; idem vero vocibus *εἴκελος, ἐναλίγκιος, εἰδόμενος, ἐοικὼς* formam re vera assumtam significari posse et haud raro significari non negat, ut Od. I, 105, II, 268. 383. 401, XVI, 209, quibus exemplis Schimmelph. l. l. p. 34 multa alia addit. Sed cur deorum in aves mutatio fieri non possit, nequaquam ita demonstravit Nitzschius, ut nihil reliquerit dubitationis nobisque persuadeat Eustathium ad Od. XXII, 240 (*χελιδόνι εἰκέλη ἄντην*) perperam animadvertere haec: *ἢ κατὰ τὴν πτῆσιν ἢ κατὰ τὸ εἶδος · οὐ γὰρ ὀκνεῖ ὁ μῦθος καὶ οὕτω μεταποιεῖν τὰ δαιμόνια.* Nam ut concedamus, duobus locis prioribus deae cum ave similitudinem ad solam avolandi celeritatem referri posse — quamquam nobis persuasum est, quum dea iis, a quibus discedit, numen suum aperire velit, hoc certius atque efficacius fieri mutatione — tamen Od. XXII, 240 vix potest fieri quin Minerva in hirundinem conversa cogitetur. Primum enim qui fieri possit, ut sua specie in tecti trabe sedeat, ego non video; deinde adiectivo *εἰκέλη* additum adverbium *ἄντην* recte monent Naegelsb. et Schimmelph. l. l. aliam vim habere non posse, quam ut dea re vera in hirundinem mutata intelligenda sit. Quae si vera sunt, nihil obstare videtur, quin etiam I, 319 et III, 371 in avem mutatam deam

---

23) *εἴδωλον ποίησε, δέμας δ' ἤικτο γυναικί,*
Ἰφθίμῃ κούρῃ μεγαλήτορος Ἰκαρίοιο.

Nestor Telemacho

ὦ φίλος, *inquit*, οὔ σε ἔολπα κακὸν καὶ ἄναλκιν ἔσεσθαι,
εἰ δή τοι νέῳ ὧδε θεοὶ πομπῆες ἕπονται.
οὐ μὲν γάρ τις ὅδ' ἄλλος Ὀλύμπια δώματ' ἐχόντων,
ἀλλὰ Διὸς θυγάτηρ, κυδίστη Τριτογένεια,
ἥ τοι καὶ πατέρ' ἐσθλὸν ἐν Ἀργείοισιν ἐτίμα.

VI, 13 sqq. Nausicaae apparet dormienti Dymantis filiae, aequali eius, similis eique suadet, quae sint Ulixi profutura. VII, 19 sq. Ulixi Phaeacum urbem intranti obviam se fert in speciem virginis urnam ferentis conversa eique Alcinoi domum ostendit. Ulixes ne suspicatur quidem Minervam esse ducem suam. Quare locum Od. XIII, 320—23 suppositicium esse cum aliis ex caussis, tum praecipue idcirco, quod Ulixes a Minerva se in Phaeacum urbem ductum esse dicit, iam veteres critici intellexerunt. VIII, 7 sq. mutata in praeconis speciem Phaeaces ad concionem vocat:

ἡ δ' ἀνὰ ἄστυ μετῴχετο Παλλὰς Ἀθήνη,
εἰδομένη κήρυκι δαΐφρονος Ἀλκινόοιο.

ibid. 193 in viri speciem conversa locum significat, ad quem Ulixes discum coniecit:

ἔθηκε δὲ τέρματ' Ἀθήνη
ἀνδρὶ δέμας εἰκυῖα.

XIII, 221 sqq. Ulixi experrecto in patria et lamentanti apparet pastoris induta specie:

σχεδόθεν δέ οἱ ἦλθεν Ἀθήνη,
ἀνδρὶ δέμας εἰκυῖα νέῳ, ἐπιβώτορι μήλων,
παναπάλῳ, οἷοί τε ἀνάκτων παῖδες ἔασιν.

XXII, 205 sqq. ad Ulixem, Telemachum, Philoetium, Eumaeum cum procis pugnantes accedit in speciem conversa Mentoris, ut eorum animos accendat. Ulixes haec ad eam verba facit:

Μέντορ, ἄμυνον ἀρήν, μνῆσαι δ' ἑτάροιο φίλοιο,
ὅς σ' ἀγαθὰ ῥέζεσκον· ὁμηλικίη δέ μοί ἐσσι —

etsi Minervam esse suspicatur, ut e versu 210 apparet. Forsitan miretur aliquis, h. l. denuo deam aliena forma indutam, non, ut ante, sua ipsius specie pugnantibus apparere. In qua re si qua est difficultas, ea ita solvi posse videtur, si statuas deam non Ulixi solum, sed etiam tribus sociis animum augere eamque ob caussam ab omnibus conspici atque audiri velle, ut desinant metuere, ne a procis numero multo potioribus opprimantur. (v. 203 sq.) E versibus 233—235 colligi posse videtur, Minervam, postquam Ulixi verbis animum accendit, etiam pugnae se immiscuisse, ita tamen, ut nondum ei finem faciat (v. 236). Ceterum quod XXIV, 444 sqq. poeta Medontem praeconem dicentem facit, se sub Mentoris specie divinum numen agnovisse, cuius ope Ulixi contigerit interficere procos, cum nostro loco minime videtur congruere, ubi praeter Ulixem neminem deam agnovisse apparet. — Etiam XXIV, 502 sqq. Ulixi cum suis obviam ituro hostium agmini apparet in speciem mutata Mentoris et inter regem et populum pacem conciliat.

IV, 795 sqq. Minerva, cum alias ipsa dormientibus aut immutata aut in alienam speciem

conversa apparere soleat, imaginem facit Iphthimae, Penelopes sorori, similem eamque mittit ad Ulixis uxorem, ut consoletur eam de filio sollicitam.[23]) Similiter Il. II, 3 sqq. Juppiter specie per somnum oblata, quam Nestori similem fecit, Agamemnonem fallit. Utroque autem loco somniorum species, a quo deo missae sint, dormientibus aperiunt. Od. IV, 828 sq. Il. II, 26, 33. — Il. V, 449 sq. Apollo imaginem facit Aeneae, quem e proelio subduxit, similem et in eius locum substituit:

αὐτὰρ ὁ εἴδωλον τεῦξ' ἀργυρότοξος Ἀπόλλων
αὐτῷ τ' Αἰνείᾳ ἴκελον καὶ τεύχεσι τοῖον.

Ceterum observandum est, nostro loco speciem nocturnam a Penelope θεὸν appellari, de qua re v. Nitzsch l. l. II, p. 320.

4. Restat ut de iis locis paucis dicendum sit, quibus Minerva non in hominis alicuius, sed in avis speciem mutata mortalium in conspectum venit. Sunt omnino loci tres, de quibus disputandum est: I, 320.

ὄρνις δ' ὣς ἀν' ὀπαῖα (sic legendum videtur Naegelsbachio l. l. p. 160) διέπτατο —

III, 372: ἀπέβη γλαυκῶπις Ἀθήνη φήνῃ εἰδομένη —

XXII, 239 sq. αὐτὴ δ' αἰθαλόεντος ἀνὰ μεγάροιο μέλαθρον
ἕζετ' ἀναΐξασα, χελιδόνι εἰκέλη ἄντην.

